

- set Subreptitium, *Barbosa in dicto c. oblata num. 3.*, quod limitat, si impetretur Judex extra Curiam; secus si in curia, quia in hoc casu, non est opus, mentionem facere de termino præfixo, seu assignato. Tertius Casus, si neque à Judice, assignatus sit terminus, neque ab appellante præfixus, undè simus in termino Juris, qui hodie est duorum annorum, (ut supra notatum est) tunc appellatus, per suas diligentias potest, terminum Juris prævenire, & commissionem procurare, ac impetrare, nulla facta mentione de termino legali, qui præsumitur notus rescribenti, *Marchesanus autem tract. de commissionibus p. 1. cap. 9. de commissione, appellationum vigore, c. oblata sub nu. 3. folio mihi 400.* moderat, nisi appellatus nimis festinaret, ad supplantandum appellan-tem, & Judicem sibi amicum impetrandum, *Scaccia supra num. 56.*, ubi, & *num. seqq.* examinat, quando appellatus, in hoc casu dicatur nimis festinare, ubi *num. 57.* Si appareret, quod appellans esset negligens in procuranda commissione, tunc appellatus, non dicitur nimis festinare.
- 32 Sicuti autem supra dictum est, impedito, tempus non currere, vel ad appellandum, vel ad petendos Apostolos, ita dicas, neque impedito, currere ad commissionem causæ, procurandam, nisi in ejusdem impediti facultate staret, tollere impedimentum, ad notata per *Scacciam d. tract. de appellat. q. 15. num. 156.*, & *seqq.*, ubi à *num. 44.* & *seqq.*, exemplificat de pluribus impedimentorum generibus, ut de paupertate, si carceratus, si infirmus, si deficiant ministri, ut Notarius, Procurator, Advocatus, Actor &c., si abesse cogatur, gravioribus, distractus, negotiis, vel propter servitium Reipublicæ; Si non potuit habere Scripturas, Instrumenta &c., vel si impedimentum proveniret, ex facto appellati, quia ex aliena culpa, nemo debet prægrvari; ita neque negligentia culpari; potest etiam ex ignorantia, excusari, quæ excusat etiam à negligentia, (diximus in prima parte hujus tractatus in principio,) & firmat *Coccin. decis. 1625. num. 5.*, ubi quod, qui ex ignorantia, non prorogavit fatalia, non idè censetur, causam voluisse deferere.
- 33 Ex facto igitur appellati, potest provenire impedimentum, ut si Magistratum con-

sequatur, quo durante, non possit in Judicio vocari; similiter, si aliquod Privilegium consequatur; quo differenda sint ejus iudicia; si fiat familiaris Judici; si appellatus attentavit, quia durante iudicio attestatorum, non currit tempus commissionis, *idem Scaccia num. 65.*, & *66.*, non sic, si ipse appellans attentavit, quia etiam dum vertitur iudicium attestatorum, currit tempus commissionis, *ibidem Scaccia num. 76.* Item si pendente appellatione, & termino, appellatus daret in curia (Nihil transeat) *Merlin. decis. 56. num. 7.* Vel si appellatus interim proponeret, aliquos articulos discutiendos, emergentes, vel incidentes, quorum necessaria esset discussio, antequam ulterius procedatur in Causa, *Scaccia d. q. 15. num. 83.*, vel dum agitur in Summaris. possessorio, non currit tempus in petitorio; vel si disputetur de sufficientia mandati, qua disputatione durante, non currit tempus in causa; requiritur enim sufficiens mandatum ad prosequendum, *Coccin. decis. 1988. num. 9. 12.*, quod intellige, non currere tempus, ex parte excipientis, de insufficientia mandati, si favorabilem Sententiam reportet; secus ex parte victi, cujus culpa insufficientis datum est mandatum; debet enim sibi imputare, sicuti damnaretur in expensis, ex quo excipiens habuit justam causam litigandi, *Scaccia ibid. num. 97.*; Item potest contingere, quod terminus non currat in casu mixto, idèst facto utriusque partis, ut si fecerint compromissum, quo pendente, ex consensu partium, non currunt fatalia, *Scaccia ibid. num. 105.*

34 Facto Judicis, potest contingere impedimentum; quo casu contra Judicem, pars impedita debet protestari, ne sibi currat tempus, & reputetur negligens. *Scaccia dicta q. 15. à num. 122.*, & *seqq. num. 124. num. 130. num. 181.*, casus erit, si Judex sit excommunicatus, quo casu, si impeditus non recurrat ad Superiorem, si possit, adhuc est negligens, quia sic recurrendo, potest tollere impedimentum, dum Superior, alteri Judici committet causam cognoscendam, *Marescot. variarum resol. lib. 2. c. 74. num. 5.*

35 Neque tempore Sedis Pontificiæ Vacantis, currit tempus, quia tunc iudex dari non potest, & signatura solet, *Scaccia supra n.*

- 131, si verò recurrendum esset, ad alia tribunalia, vel in curia, vel extra, quæ suam adhuc exercerent Jurisdictionem, cessat hoc impedimentum, & currit tempus.
- 36 Si impedimentum contingat facto tertii, currit tempus, sed datur impedita actio ad interesse contra impedientem, *Scaccia supra num. 135.*, ubi *num. 145.*, quod etiam fatalia currunt, si impedimentum proveniat casu fortuito, in quo casu remedium erit, petere restitutionem in integrum, adversus lapsum fatalium; plura vide apud *Scacciam supra*, quæ non sunt transcribenda, ne alienis laboribus, cartam impleam.
- 37 Non transportando acta, incurritur, etiam negligentia nota, quod habet locum, non solum de actis coram Ordinario, juxta decretum *Trid. Sess. 24. c. 20. de reform.*, sed de actis coram quocunque alio Judice, ut de iniquitate Sententiæ, possit ostendere ex actis, *Coccin. decis. 1465. num. 1.*, ubi *n. 14.* id habere locum, quando appellans dicat Sententiam, non justificari, ex actis, vel esse nullam, ad quod convincendum, inspicienda sunt acta, aliàs ad appellatum spectat, acta transportare, ut ex eis doceat justitiam, & validitatem sententiæ, quam petit confirmari, *ead. decis. Coccin. num. 8.*, ubi *num. 19.*, & *seqq.*, si acta transportentur integra in causa Ecclesiastica, Sententiæ nulla est, licet acta, quæ deficiunt sint irrelevantia; quod non habet locum in causa profana, in qua si acta, quæ deficiunt sint irrelevantia, adhuc sententiæ sustineantur, *Coccin. decis. 1483. num. 3.*, regulariter autem, acta ab eo sunt transportanda, qui vult in causa procedere, vel sit appellans, vel appellatus, *Coccin. decis. 424. n. 1.*, & *decis. 581. num. 5.* Jura tamen, quæ sunt verbaliter producta, non sunt transportanda, *Coccin. decis. 115. num. 3.*
- 38 Si verò contingat, quod jura partium separatim producantur, & una pars non possit habere jura alterius partis, tunc facta monitione per Judicem, & pars, negligat adhuc jura sua transportare, potest Judex, visis solum Juribus transportatis, pronuntiare, quia altera pars negligens, debet sibi imputare, si non visis suis juribus Judex pronuntiaverit, *Coccin. decis. 581. num. 2.*, & *4.*, & *decis. 1483. num. 13.*
- 39 Utrum verò possit contingere culpa ne-

gligentia, in lapsu termini instantiæ, quando scilicet impetrata, & præsentata commissione, ita appellans conquiescat, ut ad ulteriora, non curet procedi in causa, ex quo instantia de Jure civili, est triennalis, *l. Prosperandum ibique D. D. C. de Judicis, Scaccia de appellat. q. 15. num. 241.*, quo termino attento, negligens diceretur, qui re infecta, sineret terminum labi. Verùm cessat de Jure canonico, quo attento, instantia est perpetua, *c. Venerabilis de Judicis, ubi Barbosa num. 2.*, cum pluribus ibi per eum allegatis, ubi quod licet tex. loquatur de Judice delegato, tamen habeat locum, in quocunque alio Judice, sicque non potest in hoc lapsu, contingere negligentia, *Ottobon. decis. 234. num. 27.*, *Cerro decis. 136. num. 19. dec. 490. num. 12. decis. 349. num. 10. 11. 12.*, *Ridulfin. praxi judiciaria p. 2. c. 1. num. 87. 88.*

40 Neque obstat, *Trid. Sess. 24. c. 20. de reform.*, quo cavetur, ut causæ in foro Ecclesiastico actitæ, & etiam benefitiales, in prima instantia, coram ordinariis locorum, infra biennium, à die motæ litis terminentur; nam concilium non præfigit instantiam causis, idèdque lapsu biennio, acta non pereunt, sicut lapsu biennio perirent, si finita esset instantia, sed solum à Concilio conceditur partibus, libera facultas prosequendi causam, coram alio Judice competente, undè si volunt, adhuc eidem partibus liberum sit, coram eodem ordinario causam prosequendi, ut notat *Barbosa* post alios *ad dictum c. 20. Trid. n. 11.*, & notaverat *Scaccia de Appellat. q. 15. n. 278.*

Non prætereo tamen, quod licet instantia sit perpetua, ut supra dictum est, sicque non sit terminus temporis, quo lapsu, causæ debeat dici deserta, & consequenter pars non prosequens iudicium, non convineatur de negligentia, tamen ex longissimi temporis cursu, adhuc causa censetur deserta, *Seraphin. decis. 1027. num. 14.*, *Ottobon. decis. 82. n. 21.*, vel etiam si constaret de non Jure appellantis, *Cerro decis. 490. num. 13.* & *decis. 389. nu. 10. 11.*, vel si stare posset, quod appellans habuerit causam pro derelicta, *Burat. decis. 307. num. 4.* ibique *Addent. n. 9.* & *10.* Ubi etiam quod longissimum tempus, adhuc effectum, censetur lapsus 30. annorū, *Coccin. decis. 617. nu. 23.*, *Ridulfin. praxi Ju. dic. p. 1. c. 13. num. 273.*

## De Negligentia Artificum.

## SUMMARI A.

- 1 **A**rtifex negligens est, qui omittere vult peritiam necessariam, pro sua arte rectè exercenda, & num. 6.
- 2 Diligentia est mater omnium artium.
- 3 Qui non curat discere litteras, aut artem, se habet, tanquam brutale animal.
- 4 Apud Ægyptios, erat Magistratus præpositus, qui inquirebat negligentes, & otiosos, & puniebat.
- 5 Artis, publicus professor, tenetur, omni petenti, operari, soluta mercede, & num. 18.
- 7 An hæredes Artificis, teneantur, opus ab Artifice inchoatum, dum viveret, eo mortuo, perficere, & videnda est forma obligationis facta, cum Artifice mortuo.
- 8 Magistri Grammaticæ, tenentur emittere professionem fidei.
- 9 Si materia ab Artifice recepta, pro opere faciundo, pereat, aut diminuatur, ex negligentia Artificis, tenetur Artifex ad damna.
- 10 Negligentia culpatur, qui omittit Instruere alios, in sua Arte.
- 11 Qui ex sua arte, sibi diligenter victum querit Beatus est, & multa commoda, tam spiritua- lia, quam temporalia, acquirit.
- 12 Coactus, à Patria discedere, si artem sciat, sibi enorifice consulit.
- 13 Caveant Artifices, ne diebus festis, servilia operentur.
- 14 Possunt operari, quando res aliter est peritura; Ut segetes, & num. 15.
- 16 Villicus culparetur, si sineret collectas perire, non adhibita necessaria diligentia.
- 17 Si opus inceptum periret, illud non proseguendo, Artifex tenetur proseguere.
- 19 Si ex negligentia Sutaris, mures corrodant Vestes, tenetur ipse ad damna.
- 20 Custos pignorum, tenetur, si tinea demoliantur vestes laneas.

## ARTICULUS V.

## De Negligentia Artistarum.

- 1 **D**escendere ad singulas artium species, ut in singulis notentur negligentia effectus, vel impossibile, vel nimis difficile reputavi; quare aliqua tangentiam in genere, de negligentia artistarum, dimittendo studiosis, applicationem, definitionis negligentia, in omnibus casibus practicis, quam explicavimus, in prima parte hujus tractatus; scilicet, quod sit (omissio ejus, quod quis facere debet, & potest, & scit, se ad id teneri) ita ergo artifex, in qualibet artis specie, ille dicitur negligens, qui omittit ea, quæ secundum regulas artis, tenetur servare, & facere, & potest, & scit se teneri.
- 2 Præmitto autem, quod notat Lucas de Pœna in l. cum vos affirmatis num. 5. C. qui etate, vel professione se excusant lib. x., quod scilicet, diligentia est, mater omnium artium, in opere suo; negligentia verò, noverca eru-
- 3 Prima, autem negligentia est eorum, qui omittunt discere litteras, aut artem aliquam; se habent enim, tanquam brutale animal, cum ab eo parum differant, licet enim habeant usum rationis, specificantis hominem, à brutis, tamen propter tantam ignorantiam, & propter negligentiam habitam in discendo, parum elevantur, ut vix possint, cum virtute uti ratione.
- 4 Idè apud Ægyptios erat lex cogens unumquemque, ex Civibus, ad ediscendam aliquam artem, & ad hoc erat destinatus publicus Magistratus, qui diligentissimè conquirebat negligentes, & poenis impositis, mulctabat; Solon quoque legem tulit, ne filius, parentem, qui ipsum non docuisset artem, cogeretur alere, & Judices Areopagi, in otiosos, & negligentes, animadvertere præcepit, teste Plutarco.
- 5 Artifices incurrunt negligentia culpam, si re-

- si recusent, pro omnibus, & singulis, opus suæ artis poscentibus operari; certum est enim, quod publicus artis professor, tenetur omnibus petentibus, & mercedem solventibus, non denegare opus artis, ad tex. in l. Mechanicos C. de excusat. artific. lib. x., ubi Lucas de Pœna num. 3., & in l. Archiatri C. de professor. lib. x.
- 6 Hinc, & culpabitur artifex, negligentia, si ignoraverit, seu discere non curaverit, quæ necessaria sunt, pro ritè, ac rectè exercenda arte, quàm publicè proficitur.
- 7 Non contemptibilis est, quæstio, an si artifex, post assumptum, vel etiam inceptum opus, moriatur, teneantur ejus hæredes, opus ipsum complere, si artem noverint, vel compleri curare, per alios artis peritos, alias negantes, seu recusantes complere, culpam negligentia incurrant, & dicendum est, non incurrere, nisi speciali pacto, cum artifice mortuo, convenum fuisset, qui promississet complere opus, obligando se, & hæredes, alioquin obligatio, est tantum personalis, quæ extinguitur cū persona, nec transit ad hæredes l. inter artifices ff. de solut. l. nemo est ff. de duobus reis, Bartol. in l. si sit stipulatus in fine ff. de verbor. oblig., Roman. Singular. 670., Felin. in c. quoniam §. is autem num. 5. de officio deleg.
- 8 Professores artium liberalium, ut Magistri grammaticæ, vel alterius hujusmodi facultatis, omittentes emittere professionem fidei, juxta Bullam Pii IV., culpam negligentia incurrunt ad allegata per Barbosa de potestate Episcopi alleg. 61. sub num. 3., & possunt per Episcopum prohiberi, ne artem illam exerceant, aut doceant, donec hujusmodi professionem fidei, emiserint.
- 9 Contingat, quod Artifex assumpserit opus faciendum, sed in eo negligens fuerit, ita ut receptam materiam, pro opere construendo, vel amittat, vel diminuat, vel deteriorem reddat, tenetur ipse de suo damna refarcire, quinimò etiam de levissima culpa teneretur, sit exemplum: Aurifex, receptam gemmam, & aurum assumpsit in anulum, vel torquem construere, vel receptum argentum, in Calicem eformare, ex ejusdem tamen Artificis negligentia, vel gemma frangitur; vel aurum, aut argentum, in parte deperit; Tenetur Artifex ad damna, & interesse, quia ipse est in

- culpa sequentis damni, ad tradita per Dianam p. 8. tract. 7. resol. 33. versi. Unde apparet, Azor. p. 3. lib. 4. c. 6. quæst. 3. ad finem, ubi recensita sententia Sylvestri, quod teneatur de culpa levi, tantum, quia opus fiat, in gratiam utriusque, ipse tamen comprobatur, artificem teneri, etiam de levissima, quia ex professione suæ artis, maxime in rebus pretiosioribus, censetur exactissimam diligentiam promittere; faciunt dicta per Scacciam de commox. §. 7. glos. 2. num. 95., Bonacina de contrac. disp. 3. q. 1. p. 6. n. 15.
- 10 Alio casu poterit artifex negligentia culpari, si negligat, & recuset, alios in sua arte instruere, unde Reipublicæ damnum sequatur, ex quo remaneat Civitas privata, tali commodo, scientis scilicet artem; Sylvestri summa Vers. de artificibus, sicut enim culpatur, in sacro Evangelio, qui receptum talentum abscondit in terra, tenetur enim unusquisque, talentum sibi à Domino Deo concessum, ad aliorum utilitatem, & maxime ad bonum publicum, exercere, alioquin instruere, ad imitationem naturæ, quæ ad conservationem specierum, omnino consulvit, nec sinit speciem perire, ars autem imitatur naturam, in quantum potest, etiam æmulando §. Minorem Instit. de adept., Menoch. de presumptionibus lib. 4. præsup. 2. num. 22., unde non debent, in arte periti, sinere artem illam in Civitate, & Republica, perire, aut quod Respublica cogeretur, aliunde cum gravi expensarum incommodo, similes artis peritos, accersere.
- 11 Advertant autem Artifices, ad hoc, ut fiant diligentiores in operando, ad Præconiū Spiritus Sancti decantatum in psalm. 127., labores manuum tuarum, quia manducabis, in beatu es, & bene tibi erit, quia dum attentè opus artis operantur, multa sequuntur commoda, & bona, nempe effugant otium, enervant tentationes; ac insidias Diaboli, sibi victum, & familiæ parant, bonum sibi nomen acquirunt.
- 12 Tum quia, sciens artem, si cogatur quacunque ex causa, Patriam, domumque paternam, deferere, ad quascunque Civitates se conferat, artificio, suo invenit, quo sibi consulat, quo necessitatem, & indigentiam, depellat, & habet locum illud Philosophi enuntiatum, quod vir eruditus ubique Civis est, quæcumque regio, sibi patria est, nullibi peregrinus.